

quod illi crediderunt in Christum exhibendum, nos vero in exhibitum.

2. Exemplo Regum ac Prophetarum qui tam avidè Christi incarnationem videre desideraverunt, & tamen voti sui compotes non sunt facti, discamus patientes esse: cum non omnia ex animi nostri sententiâ succedant.

DE SECUNDO.

I. Notetur finis quæstionis à Phariseo propositæ. Tentat Christum & illum obliquè reprehendit. *Q. d.* Si illi sunt beati, qui te vident, & Meditatorem agnoscunt, quid ergò tibi videtur de lege?

V S V S.

1. Non miremur, si adhuc veræ nostræ doctrinæ ab hæreticis contradicatur.

Matt: 10. Discipulus enim non est suprâ Magistrum: & Christus est signum contradictionis.

Luca 2. *2.* Quemadmodum hic Legisperitus tentandi gratiâ quærit, quid sibi faciendum. Ita & nos docendi gratiâ quæramus & audiamus: Credendum esse in Christum.

Johã: 3.

II. Responsio Christi: *In lege quid scriptum est, &c.*

Vsus.